



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius**

**Ginther, Anton**

**Augustæ Vindelicorum, 1733**

**VD18 12431648**

Consideratio CXXXIX. In omni cruce & tribulatione conformemus nos Christo crucifixo, eique gratias agamus, etiam pro adversis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)

# CONSIDERATIO CXXXIX.

In omni cruce & tribulatione conformemus nos Christo crucifixo, eique gratias agamus etiam pro adversis.

*Aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta. Hebr. 12. 2.*

**M**Oyses jam grandior effectus negavit se esse filium Thermut filiae Pharaonis Aegyptiorum Regis, licet ab illa regio modo fuisset educatus, & in filium ac haerem regni adoptatus, sed magis elegit affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem; proinde cum gaudio ad quaecunque sustinenda adversa pro salvando populo Dei se accinxit: *Magis eligens affligi cum populo Dei.*

Hebr. 11. 25.

Moyſes sicut in pluribus, sic etiam in hoc insignis typus Christi Jesu fuit, de quo S. Paulus: *Qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta.* Proposuit illi quidem Pater aeternus a primo incarnationis instanti optionem gaudii & crucis, sed ille cum gaudio, ut ab interitu redimeretur genus humanum, praelegit, & amplexus est crucem, ut & nos cum gaudio, imò etiam cum summa gratiarum actione nostras sufferamus cruces & tribulationes. Plura in presenti.

Hebr. 12. 2.

2. Rectè & optimè Vates Regius: *Benedicam Dominum in omni tempore: Semper laus ejus in ore meo.* Et quomodo hoc erat possibile Rex potentissime, inter tot laborum, regni, bellorumque curas? R. S. Augustinus, quòd David omninò intenderit semper & in omnibus laudare DEum, eique debitas referre grates non in prosperis tantum, sed etiam in adversis. Juvat hic audire propria illius verba: *Omni tempore, inquit, & semper sive in prosperis, sive in adversis: Nam si in prosperis, non in adversis, quomodo omni tempore? quomodo semper?* Ergo mens erat:

Psal. 33. 2.

S. August. in Psal. 33.

Uuu 2

Davi-



Davidis semper & in omni fortuna laudandi DEum. Anima Christiana audis modum? Imitare.

Pfal. 118. 62  
Hugo Card. in  
hunc locum.

3. Idem Rex David de se ipso commemorat, quod media nocte, licet tot fatigatus curis ac laboribus, solitus fuerit de somno suo surgere, & laudare DEum: *Media nocte surgebam ad consistendum tibi.* Et cur media nocte? R. In hunc locum Hugo Cardinalis: *Mediam noctem vocat graviolem tribulationem, in qua, inquit surgebam ad consistendum tibi, quia non sic flagellas, ut dejiceres, sed exercebas, ut surgerem, & fortius confiterer, de omnibus gratias agens, etiam de adversis.*

Pfal. 115. 7.

S. Chrysoft  
in Psal. 115.

4. Nondum recedo à Davide. Voluit is esse DEO adhuc magis gratus pro tot, tantisque ab eo receptis beneficiis, quid fecit? Hostias paravit pacificas: *Tibi sacrificabo bestiam laudis, & nomen Domini invocabo.* Et quænam erat hæc hostia laudis? Non quæro hic sensum litteralem sed moralem. R. S. Chrysoctomus: *Nihil est quod Deus majori studio complectatur, quam esse gratum non solum in rebus secundis, sed etiam in adversis; hæc est pulcherrima hostia, hæc maxima oblatio, si te ipsum offers DEO & Amori tuo crucifixo in hostiam, eique te in omnibus conformas.*

Luc. 22. 19.

5. A Davide ad Filium Davidis transeo, de quo observat S. Lucas, quod in ultima cæna, dum memoriale passionis suæ: SS. Eucharistiæ Sacramentum voluit instituire, prius devotissimas DEO Patri grates persolverit: *Et accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam, commemorationem.* Sta hic, & considera Lector prudens! Parabatur tunc crux

2. Theff. 5. 18.

Salvatori, & tota passionis colluvies ejus representabatur mentis oculis, & nihilofeciùs gaudet, & gratias agit DEO Patri suo: *Gratias agit.* O pulcherrimum exemplum, quo docemur in omni cruce & adversitate etiam summa & ultima DEO gratias agere: *In omnibus,* ait S. Paulus, *gratias agite.* Subintrat hic Cornelius; Tam in morbo, quam fanitate, tam in inopia, quam copia, tam in consolatione, quam desolatione, tam in tentatione, quam pace, tam in humiliatione, quam exaltatione: quia non minus, imò sæpè majus donum, & beneficium Dei est, moribus, inopia, desolatio, tentatio, humilitas, adversitas, quam sanitas, copia, consolatio &c. *In omnibus gratias agamus Deo.*

Marc. 14. 26.

6. Idem Sanctissimus Redemptor, ubi cænâ agni finitâ, ad locum cruenti se parabat certaminis & ad mortem crucis, prius hymnum cantare voluit: *Et hymno dicto exierunt in montem olivarum.* Quid hoc est, Ô mi JEsu! An non musica in luctu inopportuna narratio? Hymnus ait S. Augustinus: canitur, non recitatur, ergo JEsus ad mortem pergens, alta voce cantavit! Et quid cantavit? R. Paulus Burgenus & alii.



alii, hymnum hunc fuisse ex septem Psalmis ex Halleluja confiatum, qui incipiunt à Psalmo 112. In exitu Israel de Ægypto &c. Et finiuntur Psal. 118. Beati immaculati in via. Ex quibus patet, quòd satis longus fuerit ille hymnus à Christo & Apostolis post cænam cantatus. Causam hujus cantus assignat Victor Antiochenus: Ante passionem, inquit, laudes gratæque Deo depromit, per hoc ostendens se ultrò libentèrque pati, tum nos quoque exemplo admonens, ut adversa, si qua nonnunquam sese offerant, grato patientique animo perferamus. O si caperemus hoc verbum!

Vict. Antioch.  
in Marcum  
ic.

7. Cùm DEus pro homine, Judex pro reo, & Sanctus pro peccatore in cruce moreretur, observat dilectus ille Discipulus & testis ocularis, quòd inclinato capite expiraverit: Et inclinato capite tradidit spiritum. Quare inclinato ad pectus capite? Omittis aliis rationibus advertit S. Bernhardus, quòd Christus per hanc capitæ sui inclinationem Patri suo æterno demississimas gratias pro consummata passione, mortis victoria & redemptione mundi voluerit persolvere: Solent enim gratias agentes inclinare caput. O anime mi! vides modum, quomodo in vita & in morte, in omni cruce & adversitate DEO ac Salvatori tuo Crucifixo gratias agere debeas: Non magnum est, ait S. Ambrosius, si tunc Domino gratias agas, quando in prosperis & secundis es; sed si tunc adhas reas Christo, quando te persecutio exagitat, quando aliqua procella perturbat. Quacunque igitur premaris calamitate, aut gravi afficiaris mœstitiâ, vel si tibi aliquid contingat adversi, dic cum Job: Sit nomen Domini benedictum, vel cum Psalte Regio: Benedic anima mea Dominum; vel cum Beatissima Virgine: Deo gratias. Ita S. Bonaventura & Barrad. Tom. 1. lib. 7. c. 13.

Jo. 19. 30.

S. Bernhard.  
t. 2. l. c. 56.

S. Ambros.  
sec. 7.

8. In fornacem quondam ardentem erant projecti Tres Pueri Babylonic; quid fecerunt? Quasi ex uno ore laudabant, & glorificabant, & benedicebant Deum. Ecce in summa tribulatione laudabant Deum, eique submissas agebant gratias; hinc meruerunt, ut conservarentur illæsi; proinde eleganter os aureum: Hoc est maxime grati animi, hoc sapientia studiosi, in rebus etiam asperis & adversis gratias agere, non solum pro beneficiis, sed etiam pro suppliciis; hoc enim majorem mercedem conciliat: nam in bonis quidem gratias agens, reddisti debitum, in malis autem DEum constituisti debitorem.

Dan. 3. 51.

D. Crysost.  
in Psal. 9.

9. Tales fuerunt & Senior & junior Tobias, DEO in omnibus persolventes gratias, & sanctissimæ ejus penitus sese submittentem voluntati. De seniore referunt Sacræ Paginæ, quòd felle piscis fuerit illuminatus, qui prius stercore hierundinis fuit obcæcatus: De felle piscis hincis oculos patris sui, & sustinuit quasi dimidiam serè horam: Et cepit albugo ex oculis ejus, quasi membrana ovi, egredi, quam apprehendens Tobias traxit ab oculis

Tob. 11. 13.

Uuu 3

oculis



oculis ejus, statimque visum recepit; & glorificabant Deum. Observa, quid amarum felle? Per quod designatur tribulatio, sed haec ipsa tribulatio oculos caeci Tobiae aperuit: Tribulatio, inquit S. Berhardinus, est illud amarum fel, quo oculi Tobiae, id est, viri justii ad Dei cognitionem fuerunt illuminati. Vide hic rursus, atque considera, quid profit tribulatio, & in tribulatione DEO & Amori suo crucifixo reddere gratias.

S. Bernhard.  
tom. I. sec. 8.  
art. 2.

Martyrol. 19.  
Novembr. &  
alii hoc die.

10. Ad exempla veniamus. S. Barlaam homo alias aegris & rudis, in Philolopia tamen Christi Crucifixi plurimum profecit, unde & tyrannum vicit, & ignem fidei constantia superavit; postquam enim Caesarea in Cappadocia crudelissime ab Ethnicis flagellatus est, dexteram suam thure plenam super ignitos carbones coram idoli statua tenere jussus est, ea conditione, ut, si quid thuris subiectum ignem decideret, Christum crucifixum negare, & diis sacrificare videretur. Quid fecit? Manum suam dexteram in pugnum compressam tam diu super ignem tenuit immotam, donec tota absumeretur, interim illud Regii Vatis laeto ac grato animo decantans: *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad praelium, & digitos meos ad bellum.*

Psal. 143. 1.

Nadal. 9.  
Octobr. &  
passim alii,

11. S. Dionysius Areopagita, cum pro Christo acerbissime flagellaretur, atque super lectum ferreum igne assaretur, laetus inter tormenta decantavit: *Gratias tibi ago Domine;* qui bestias fame rabidas cruce compescuit, illaesus ex ardente fornace exivit, cui & Christus in carcere apparuit, ac consolatus est; Cruci denique affixus, & paulo post iterum depositus, capite plexus, vir 110. annorum, resectum caput ipse in manus reassumpsit, & per duo millia ad sepulturae locum, quem elegit, asportavit, cantantibus interim Angelis: *Gloria tibi Domine.* Vide hic fructum illorum, qui Deo in adversis gratias agunt.



CON.